

D E F U N C T I

P. Ioannes P. Fogarty (1931-1964)

(Prov. Baltimoren.)

P. Ioannes P. Fogarty, lector in nova domo studiorum de Suffield, Connecticut, U.S.A., vita functus est die 29 aug. 1964, anno aetatis suae trigesimo tertio.


Natus erat in Brooklyn, in Statu de New York, die 14 april. 1931. Primam institutionem recepit in praedicta urbe Brooklyn, et quidem in schola paroeciali B.M.V. de Perpetuo Succursu, nostrae domui adnexa. Mense augusto 1944 Iuvenatui nostro de North East adscriptus est, ubi modo honorifico studia fecit. Anno 1951 Novitiatum incepit in domo de Ilchester et die 2 aug. 1952 vota temporaria emisit. In Studentatu de Esopus, ubi cursum philosophicum et theologicum instituit, non modo tamquam optimus alumnus notus erat, verum etiam bonam famam sibi meruit in exercitiis sportivis. Die 23 iun. 1957 sacerdotio auctus est, ordinante Exc.mo Dom. Francisco Card. Spellman, archiepiscopo Neo-Eboracensi.

Explorio tirocinio pastorali Annapoli, in nostro Collegio, Romam missus est ad studia philosophica perficienda in Athenaeo Pontificio tunc vocato « Angelicum », nunc autem Univers. S. Thomae. Romae deguit a mense sept. 1959 ad mensem iun. 1961. In experimentis ad Lauream in Philosophia bene probatus est, cum thesi: *Self-control of the « Irascible Appetit »*; cuius pars (p. XVI-76) eodem anno 1961 edita est ad obtinendum titulum Doctoris.

Reversus in patriam, P. Fogarty missus est in Washington, ad Universitatem Catholicam Americae, ubi studia specialia fecit in materia pertinenti ad educationem; ac etiam novum diploma obtinuit ut Magister Artium.

Anno 1962 nominatus est Lector domus studiorum in Esopus; ubi praelectiones habuit philosophiae et linguae latinae ecclesiasticae. Quando anno 1963 cursus philosophicus Provinciae Baltimorensis translatus est ab Esopus in Suffield, P. Fogarty, ut lector philosophiae, novae domui studiorum etiam adscriptus est; atque nominatus socius Praefecti Studentium.

Omnia itaque parata erant ut P. Fogarty Lectoratum non paucorum annorum adimplere possit. Sed Deus res aliter disposuit. Nondum anno expleto ab inchoato munere professoris in Suffield, P. Fogarty gravi morbo correptus est. Post plures operationes chirurgicas ultimum tempus suae vitae transegit in nosocomio urbis Neo-Eboraci. Et supremum diem obiit 29 aug. 1964.



P. Ioannes Fogarty

Exsequiae factae sunt in nostra ecclesia de Brooklyn, celebrante Superiore Provinciae Baltimorensis. P. Iosephus McDonough hac occasione allocutionem habuit, monstrans quomodo P. Fogarty suo modo testimonium perhibuit de lumine. In sua vita, etsi brevi, veram fidem et sinceram charitatem monstravit. Fortasse Deus hoc exemplum fervoris iam ab initio dare voluit omnibus qui postea in domo institutionis de Suffield studiis vacabunt.

Pr. MEERSCHAUT, C.SS.R.